Fidei Fundamentum Ratio.

CONCIO
AD
CLERUM

694. e 17
18

HABITA

In Templo Beatæ MARIÆ

APUD

ACADEMICOS CANTABRIGIENSES

JULII IV, MDCCLIX.

PRO GRADU

DOCTORATUS IN SACRA THEOLOGIA.

A

RADULPHO HEATHCOTE, S.T.P.

CANTABRIGIÆ,
TYPIS ACADEMICIS EXCUDIT J. BENTHAM.
Proftant venales apud G. THURLBOURN & J. WOODYER, et T. & J. MERRILL, Cantabrigiæ: et T. PAYNE in vico vulgo dicto *Caſtle-ſtreet*, Londini.

MDCCLIX.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ALMÆ MATRI

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSI

HANC QUALEMCUNQUE CONCIONEM

IN OBSERVANTIÆ SUÆ TESTIMONIUM

DAT, DICAT, DEDICAT

R. H.

P. H.

CONCIO ad CLERUM.

COLOSS. ii. 8.

Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς απάτης, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ανθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τῦ κόσμυ.

Videte ne quis vos captivos abducat per Philoſophiam vanam & fallacem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi.

FIDES Chriſtiana, vixdum etiam in orbe terrarum promulgata, ſuperſtitione et pravis opinionibus obducta fuit; idque a Judæis primum, poſtea a Græcis. Judæi adjunxerunt ei ritualia quædam legis ſuæ jam abrogatæ, et doctrinas, quas abunde ſuppeditabant inconditæ Rabbinorum farragines: admiſcuerunt Græci Sapientiam Humanam, et in eam inſinuaverunt dogmata e Scholis Philoſophorum hinc illinc deprompta. Fidem igitur contaminavere Judæi *traditionibus hominum*, Græci *elementis mundi*. * Suo utrumque modo *abduxit* interea, et *fefellit vana Philoſophia*, vana res novas moliendi cupido: faſtidioſi etenim veritatis divinæ, ſimplicis nudæque, qualis e cœlo

* Ita tam Græcos, quam Judæos, Apoſtolus notat etiam in 1 Cor. i. 20: *ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τῦ αἰῶνος τύτυ; ubi Scriba? ubi diſputator hujus ſæculi?* Γραμματεὺς proprie ſignificat quendam in legibus ritibuſque Judæorum verſatum; et συζητητὴς τῦ αἰῶνος ad Græcorum garrulam Philoſophiam plane ſpectat.

deſcenderat, cogitabant, miſeri! fuco quaſi phaleriſque eam ornare, atque ornando in melius mutare. Hinc novis eam additamentis augere, et inſtruere commentis, a quibus omnino abhorrebat; et quæ quidem ei in uſum ornatumve adeo non ſerviebant, ut nil magis utrique obeſſe potuerit. Quamobrem putabat Apoſtolus Coloſſenſes, quos hic alloquitur, jure monendos, *ne abducerentur per vanam et fallacem Philoſophiam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi.*

Diſſimulandum interea minime eſt, quam longe aliter interpretati quidam ſint hunc Sacræ Scripturæ locum. Nam abuſum Rationis Humanæ, quem deſignatum nomine *vanæ et fallacis Philoſophiæ*, tum in Judæis, tum quoque in Græcis, plane vituperat Paulus, intelligendum hi cenſent de illa ipſa Ratione: cujus idcirco uſum in re Religionis non tam negligere, quam iracundi etiam aſpernari et rejicere, videntur. Jubent, ut ne quidquam omnino conſortii Ratio cum Fide habeat; ſed ut eliminetur foras, et tanquam profana procul arceatur. Et ſi quis audeat vel unum quidem verbum pro Ratione proferre, illico ſuſpicantur, utpote parum in Fide ſanum; et, arrepta qualibet occaſione, in illum debacchantur, ceu in Apoſtatam, Evangelio prorſus inimicum, et qui, opem Rationis pollicendo et præbendo, nil aliud intus in pectore clauſum habet, niſi ut Fidei inſidias facilius ſtruat, et eam aliquando palam proſternat.

Qui vero tantopere ſæviunt, merito dicas abundare eos æſtu potius quam luce: ſunt quidem prorſus cerriti, fanatico furore perciti, et quos æque ſuſcipias argumentatione convincendos, ac *ſi des operam ut cum Ratione inſaniant.*

Cum

Cum his autem res non nunc eſt agenda, ſed cum ſanioribus profecto et cordatioribus Chriſtianis: quos mecum jamjam perſuaſos eſſe confido, Revelationi Rationem non tantum non inimicam, ſed neceſſariam etiam, revera eſſe: facile perſuadendos ſaltem, ſi modo diligenter perpenderint,

Primo, Nullum in mentem aditum Revelationem eſſe inventuram, niſi per Rationem.

Secundo, Abſque Ratione veram Revelationem a falſa dijudicari non poſſe.

Tertio, Recipi in animum et pro divina haberi Revelationem non prius debere, quam Rationi conſentanea monſtrata erit: quod fieri ſane nequit ſine ope et adjumento Rationis.

Quarto, Apprime utilem et neceſſariam Revelationi Rationem eſſe, tum ad puritatem, qua inſtituta initio eſt, conſervandam, tum ad eam a ſordibus, ſi quas in poſterum contraxerit, liberandam.

Poſtremo, Non poſſe Revelationem radices agere et diſſeminari apud eos, quorum nondum mentes Ratione excultæ riteque præparatæ ſunt.

I.

Primo. Nullum in mentem aditum inventura eſt Revelatio, niſi per Rationem; niſi per principia et notiones e rerum natura deductas antea et confirmatas. Nam ſiqua Revelatio, qualis eſt Chriſtiana, de *Deo Deique Juſtitia atque Bonitate* ageret; aut a nobis præſciendum eſt, *Deum* revera exiſtere, et quid ſibi volunt etiam *Juſtumque Bonumque*, aut eam non recipere, quia non intelligere, poſſumus.

Siqua Revelatio hominibus ſtatueret certum quendam et definitum vitæ modum, ſi juberet facienda, prohiberetque contraria, ſecundum normam *Boni* et *Mali*, *Recti Pravique*; aut hujuſce normæ notitiam prius percipiamus oportet, aut Revelatio tradit vocabula tantum, quæ mentibus noſtris nihil rerum impertiunt. Et hinc proculdubio eſt, cur nuſquam proponit Revelatio Chriſtiana has notiones, quaſi generi humano ante incognitas, ſed ad eas nos remittit, tanquam ſub oculis omnium poſitas, et Rationi omnino conjunctas.

1. Conſtat etenim, tam Exiſtentiam Dei, quam *Attributa*, uti vocantur, nuſquam in Sacris Codicibus demonſtrata nobis dari; affirmari autem, e contrario, *a creatione mundi clare eluxiſſe, et ab iis quæ facta ſunt cuivis intelligenda*: unde et Gentiles, teſte Paulo, *plane inexcuſabiles eſſent, quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* * Notiones itidem et diſtinctiones *Boni* et *Mali*, quæ regulam agendi conſtituunt, non videmus illic exhiberi, ac ſi novæ prorſus eſſent et menti alienæ, ſed tanquam omnibus jampridem notæ, et ad communem noſtram naturam pertinentes. Ita nititur Paulus non ut explicet, ſed ut moneat potiſſimum, *quæcunque ſunt vera, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia*, &c. †

2. Has deinde in mente notiones Revelationem plane pro conceſſis ſumere, docent non tantum ſpecialia Sacræ Scripturæ loca, ſed generale etiam ipſius propoſitum. Revelationi propoſitum erat, Naturam lapſam ſublevare, reſtaurare, et homines erigere ad primævam illam perfectionem, e qua excidiſſent vixdum etiam creati: quæ magna

* Rom. i. 20, 21. † Philipp. iv. 8.

ſane

ſane res, a Lege incepta olim, poſt provecta atque demum abſoluta ab Evangelio fuit. Utriuſque igitur erat, homines non de novo formare, ſed redimere; non novas iis et nunquam ante perceptas notiones ingerere, ſed revocare veteres; menti congruas; quæ quidem errore atque animi pravitate diu oppreſſæ et propemodum deletæ fuiſſent, ſed quæ non citius in lucem proferebantur coram, quam eſſent a mente ſtatim agnitæ et receptæ. Et certe, ſi alicubi, hic valeat neceſſe eſt dogma illud Socraticum, quo aſſeritur, *Scientiam nihil aliud eſſe quam Reminiſcentiam, Mentemque naturaliter omnia cognoſcere:* * Revelationis quippe fuerit, ut nobis non copioſe atque large exponat, ſed tantum ſuggerat quaſi, quæcunque ad pietatem moreſque bonos pertinent. Hinc Auguſtinus, *data eſt*, inquit, *conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui: non enim ſcriptam non habebas, ſed legere nolebas. Propterea ſcripta lex quid clamat eis, qui deſeruerunt legem ſcriptam in cordibus ſuis? redite, Prævaricatores, ad cor.* †

Per legem *in corde ſcriptam*, prout a Paulo Apoſtolo æque ac Auguſtino nominata eſt, intelligenda ſunt principia, non utique innata et animo coæva, ſed ipſa Ratione comparata, et ſemper etiam comparanda: principia profecto, quæ jure appellemus organa, quibus percipi Revelatio et comprehendi poteſt; ſine his enim non magis licet in mentem humanam eam intromittere, quam colorum imagines infundere cæco. Denique, Chriſtianæ Revelationis vertitur quaſi cardo in notitia Dei, Divinarum perfectionum, Boni

* Plato in Menone.

† Auguſtin. Opera. Tom. iv. p. 540. edit. Benedictin.

Mali-

Maliqne: huic notitiæ omnino ſanititur. Abſque hac itaque animos ad eam appellere nullo modo poſſemus; noſmet autem averſos præberemus, *ſurdæ iſtius aſpidis ad inſtar, quæ aures ſuas obturat, et vocem incantatoris abnuit audire, ſcite quantumvis cantet.* *

II.

Secundo. Sine Ratione, et prædictis notionibus inde oriundis, non eſt dijudicanda Revelatio Divina ab ea, quæ tantummodo vult haberi Divina. — Plurimæ ſane Religiones apud genus humanum obtinuerunt olim, et etiamnum obtinent; omnes, ſiqua cultoribus fides, a cælo profectæ, et divinitus inſtitutæ. Quo pacto tandem dignoſcamus veram a falſis, ni omnes ſimul ad has notitias præeuntes, tanquam ad normam aut regulam judicii ferendi, revocemus? Etenim ſi genuinum et, ut ita dicam, *naturalem* Dei characterem mens nullum acquiſitum et ſibi cognitum habeat, nil prohibet, quin ſtatim adſciſcat artificioſum quendam fictumque, qui nefariis Pſeudo-prophetæ cujuſdam conſiliis erit accommodatior. Si porro nulla nobis inſit Boni Maliqne idea aut definitio præconcepta, judicare nequimus de præſcripta quavis vitæ inſtituendæ ratione, ſitne recta an prava, noſtræne naturæ, an ſecus, conveniat.

Hæc vero inſcientia, quam nos proclives redderet ad Religionem aliquam, quamtumvis falſam et abſurdam, ſuſcipiendam! Ponamus enim, Religionem iſtiuſmodi deſcribere Creatorem Rectoremque Mundi tanquam Dominum levem, iracundum, crudelem: ideone a nobis rejicietur? cur autem? nullas quippe in animo habentes divinæ naturæ prænotiones, quas quaſi Oraculum quoddam eſſet conſulere,

* Pſalm. 58.

certo

certo ſcire nequimus eam male deſcribi. Ponamus, ſuadere Religionem perfidiam, iram, cædes, et quæcunque hominum civiumve ſaluti advorſantur, neque et hoc vel minimum nobis de ipſius veritate ſcrupulum injicere debet: ſi enim in mente prius inſideat nullum Archetypum, nullum exemplar Boni et Mali, ad quod, tanquam ad amuſſim, iſtiuſmodi exigantur præſcripta, cur ea prava et ſceleſta ducimus, curque iis immorigeros noſmet præbemus?

Sicut igitur hæ notitiæ, Ratione quidem comparandæ, ſolæ ſunt nobis duces, queis tuto confidamus, in vera Revelatione invenienda; ita ſine his fieri non poteſt, quin æternum vagemur, incerti prorſus ubi conſiſtendum, et proſtituatur mentis aſſenſus ad obviam quamque Religionem, tam ab aſtuto nebulone confictam, quam a Deo Immortali communicatam.

III.

Tertio. Revelatio non eſt prius habenda divina et in animum recipienda, quam Rationi conſentanea monſtrata erit; quam liquebit, nihil Revelationem docere, nihil præcipere, Rationi Rectæ ejuſque concluſionibus advorſum.

Nam Ratio, cæca quantumvis atque fallax a nonnullis habeatur, vere dicitur *Verbum Dei*, quod in mentibus noſtris, tanquam illud Evangelii in codicibus, inſcribitur; et per quod agit cæleſtis Pater cum omni genere humano, ut per illud cum Eccleſia ſolum. Ratio eſt quidem illa *Candela Domini*, de qua locutus eſt Sapiens; * *Lex*, ſecundum quam ſeſe Gentiles *accuſare et excuſare* ſolebant: † quapropter pulchre omnino dixit Philoſophus, *a Deo et Recta Ratione perſuaderi, unum idemque eſſe.* ‡ Quæ cum ita res

* Proverb. xx. 27. † Rom. ii. 15. ‡ Hierocles.

ſeſe

ſeſe habeat, *neceſſe eſt, ut ſi Deus per Revelationem quicquam velit imperare, manifeſtum prius ſiat, illud imperium cum ejus legibus immutabilibus, natura notis, per omnia conſiſtere: certum enim eſt, divinam Rationem ſibimet non poſſe contradicere.** Ita ſenſit inſigniſſimus ille Cumberlandus, cujus hic verbis utor; ita ſenſerunt omnes ſanæ mentis, ſeu, ut a Paulo vocantur, *ad ſobrietatem ſapientes* Chriſtiani: † inter quos propterea conſtiterit, neque ſufficere Prophetarum vaticinia, neque miracula a Chriſto edita, nec alia quæcunque adminicula externa, ad veritatem Religionis Chriſtianæ confirmandam, ni ſtatera quaſi Rationis prius examinetur, et firma dein pacta ſit atque conſtituta inter eas concordia.

Sunt tamen interea, qui hac de re mirum in modum tumultuantur, —qui examen hujuſmodi nullo modo inſtituendum cenſent: ſcilicet, quoniam multa, ut aiunt, myſteria, multæ reconditæ in Revelatione contineantur doctrinæ, quæ Rationi adeo non conſentaneæ, ut advorſæ potius, invenirentur; et quæ, credantur licet ut Divinæ, ut Humanæ tamen improbentur et rejiciantur, oportet. At vero Revelationem credere Divinam, quod certe factum hic eſt, quoniam præcipit abſurda et Rationi contraria, eſt prorſus imitari Mohammedanos, qui Divinitatem tribuere ſolent Fatuis et Inſanis: quaſi non datum eſſet hominibus deſipere aut inſanire ſine aliquo divino afflatu. Præterea, ſi extinguenda prius ſit Ratio, quam mente Revelatio ſuſcipi poteſt, quid aliud ſane erit, ni *ut quæ ſapiens non videat, ea videat inſanus; et is, qui humanos ſenſus amiſerit, divinos adſecutus ſit?* ‡

* Cumberland. de Legibus Naturæ. Cap. vii. 13. † Rom. xii. 3.
‡ Cicer. de Divinat. L. ii. 54.

nulla

Verum enimvero Revelatio, multa quanquam Ratione non ante concepta neque concipienda quidem recluſerit, nulla tamen illi contraria præcepit vel credenda vel agenda. Et ſiquæ uſpiam a Ratione abhorrentia Religioni adhæreſcere conſpiciantur, iſta, crede mihi, non ſunt ducenda quaſi dictata Dei, ſed ut opiniones hominum prave ſentientium. Has profecto ſæpius cum Revelatione miſtas adeo atque confuſas videmus, ut ab ea ægre ſecernantur et ſegregentur: et jam omnibus plane perſpectum eſt, quæcunque dixerint homines in Rationem, harum defendendarum gratia omnino dixiſſe. Qui vero adverſus eam hucuſque graſſandum putarunt, monitos multumque monendos velim, ut ſeſe poſthac a contumeliis abſtineant, et tandem aliquando *ad ſobrietatem ſapiant*; ne, dum cupiunt aliis ſapientiores haberi, in graviſſimos et impios etiam errores ſenſim illabantur. Meminerint, tam facultates mentis nobis a Deo inſeri, quam Sacram Scripturam a Deo dictari; et qui inter has diſſidium volunt, nihil eos aliud velle, niſi Deum ut Deo opponant. *

* *Cur tam ingens mortalium turba, non ſolum Ethnicorum qui adhuc ſuperſunt, ſed Judæorum, Chriſtianorum, et ipſorum qui in religionis clauſtris degunt, ad Mahumetiſmum dilabitur? Vivendi licentia, inquies, illos allicit. Ita puto; ſed aliquid aliud eſt, quod illos ſub boni verique ſpecie decipiat. Habet nimirum hæc ſuperſtitio, quicquid plauſibile ac probabile in Chriſtiana Religione reperitur, et quæ Naturæ legi ac lumini conſentanea videntur: myſteria illa Fidei noſtræ, quæ primo aſpectu incredibilia et impoſſibilia apparent, et præcipue quæ nimis ardua humanæ naturæ cenſentur, penitus excludit. Hinc moderni Idolorum cultores facilius ac promptius Saracenicam, quam Evangelicam, legem amplectuntur.* (Ludovici Maraccii Prodromus ad Refutationem Alcorani. In Præfat. p. 4.) Quod ſi revera ita ſit, quam maxime cavendum oportuit Chriſtianis, ne Rationi repugnantia, *incredibilia* quidem et *impoſſibilia*,

IV.

Quarto. Apprime utilis et omnino neceſſaria etiam Revelationi eſt Ratio, tum ad puritatem ejus conſervandam, tum ad ſordes, ſi quas contractura ſit, abſtergendas.

1. *Cum dormirent homines, ivit inimicus zizania ſatum.* † Quam vere præſignificatum eſt in hac Parabola, quod Religioni Chriſtianæ poſtea acciderit! quæ quidem vix ſata inter homines erat, cum in ea miſcerentur zizania, et malæ herbæ omnigenæ. E primis, qui ad Fidem convertebantur, fuerunt quidam Philoſophi, qui, Evangelicam ſinceritatem nullius utpote ſaporis aſpernantes, eam condire, et adſcititiis opinionum commentis, tanquam ſale, conſpergere volebant. Inde eſt, cur a Tertulliano nominantur *Philoſophi Hæreticorum Patriarchæ*; et *de quorum ingeniis omnis hæreſis animatur.* ‡

Diſciplina Platonica apud Chriſtianos primum invaluit; quod ita contigiſſe videtur, vel quia in nonnullis conſanguinea Chriſtianiſmo cenſeretur, vel quia primævorum quorundam Chriſtianorum indoli nimium Enthuſiaſticæ in aliis faveret. Hæc utcunque ſint, invaluit; et Fidem Chriſtianam adeo corrupit, ut perdoluerit idem Tertullianus, *Platonem omnium Hæreticorum condimentarium eſſe factum.* ‖ Poſtea, cum paulatim deferbuiſſet iſte ardor Enthuſiaſmi, ubiit in deſuetudinem hicce Philoſophus: cedens, ut ita dicam, Ariſtoteli, qui reſurrecturus, ſed longo temporis in-

bilia, Religioni ſuæ tribuerent! cum hæc eadem, Papiſtica uti fraude et ſuperſtitione olim introducta ſunt, ei per orbem propagandæ potiſſimum obeſſe dicantur.

† Matth. xiii. 25.

‡ Adv. Hermog. c. 8. — adv. Marcion. L. i. 12.

‖ De Anima. c. 23.

ter-

tervallo, ab iis aliquando tenebris erat, quibus multa per sæcula obrutus jacuerat. Resurrexit tandem, non sicut merus homunculus a mortuis excitatus, sed tanquam de cœlo delapsus nuncius, qui Christianis religionis suæ arcana primus recluderet: hunc etenim Philosophum diligenter adeo observabant et colebant, ac si ad eam rite intelligendam et comprehendendam nullus ante illum viam patefeciisset. Hinc omnia Aristotelem sapiebant: plena Aristotelis omnia: ita ut haud minus vere quam lepide dictum a Patre celeberrimo Paulo Sarpio esset, *Ecclesiam cariturum esse permultis Fidei Articulis sine Aristotele:* * scilicet, ni ab Aristotele edocti fuissent Christiani omnia subtiliter tractare, conclusiunculis enervare, et veræ Theologiæ robur quæstionum minutiis frangere. Hinc istæ *profanæ vocum novitates, et oppositiones scientiæ falso ita dictæ; quam professi quidam,* tam ab ipsa Ratione, quam *a Fide* turpiter *aberrarunt.* ‡

Paulus itaque Apostolus, facile præsagiens animo quæ in posterum eventura essent mala, quam prudenter monebat Christianos, *ne inani Philosophia deciperentur!* perinde etenim erat, ac si eos monuisset, ut Rationem obnixe colerent, et ad ejus dictamina, tanquam ad saxum, adhærerent; quippe contra Philosophorum astutias illecebrasque nos nihil omnino aliud æque fortes salvosque præstare potuerit.

2. Et sicut, Ratione sopita, Revelatio errore atque superstitione cooperta propemodum erat; ita, illa expergefacta, hæc ab iisdem mox est liberata. Lux Evangelii, prout sæpius notavimus, vix affusa in terris erat, cum maculis corrumperetur; donec paulatim decrescens, pallidiorque

* Hist. del Concil. Trident. L. ii. ‡ 1. Tim. vi. 20.

facta, tandem evanuit quaſi extincta. Hæ tenebræ incubuere, Papiſtica dominatione ad faſtigium evecta; cum mentes humanæ non magis ab Evangelio, quam olim a ſuperſtitione Ethnica, eſſent illuminatæ. Decurſu temporis, lux hæc Evangelica rurſus emicuit; lucis ad inſtar ſtellarum quarundam, quæ, craſſo macularum cortice aliquándiu obtecta, vi quadam interna eum perrumpit tandem, et rerum Univerſitati iterum ſe prodit. Sic Ratio, excitata nuper apud Reformatos, atque multis cauſis auſpicato confluentibus ſatis vehementer accenſa, ſe demum e vinculis quaſi falſæ religionis eripiebat; et Revelationem Chriſtianam, quam contaminari et deformari per ſuam ſocordiam paſſa eſt, ſuis omnino viribus inſtauravit, priſtinoque nitori reddidit.

V.

Poſtremo. Sicut Revelatio Chriſtiana neque pura conſervari, neque corrupta repurgari, ſine juſta atque legitima Rationis exercitatione, poteſt; ita nec radices agere et diſſeminari apud populos, quorum nondum mentes Ratione excultæ riteque præparatæ ſunt. — Hoc novimus infeliciter experti: quoties etenim hodiernos Apoſtolos audivimus conquerentes, ſe parum aut nihil profeciſſe in Evangelio apud exteras gentes propagando, propterea quod iſtæ gentes eſſent barbaræ; quod mentes jacerent prorſus incultæ; quod carerent denique præeuntibus iis notitiis, quas quiſque Ratione rite exculta nanciſci poteſt, quæque oportebant eſſe materia quaſi ſubſtrata et fundamentum omnis inſtitutæ religionis. Hinc etiam liquet, Rationem ad Religionem neceſſario ducere; nec poſſe prius homines Chriſtianos, quam Rationales, effici.

Ut

Ut autem omnia uno verbo dicam: ſi *ſatum ſit ſemen* Evangelii inter gentes barbaras, et quæ Rationem non excoluerunt, *exorietur* forſan, et paululum ſe oſtendet; *cito tamen exareſcet, in ſaxetum quaſi jactum:* carens ſcilicet Rationis principiis ſupra memoratis, in quæ, tanquam in *altum* et pingue *ſolum, radices ſuas ageret.* Si ſatum inter Philoſophos, qui Rationem nimium, ut ita dicam, excoluerunt, eam ultra fines Natura præſcriptos proferendo, vanis opinionibus adeo *ſuffocabitur*, ac ſi *inter ſpinas cecidiſſet*, et *infructuoſum* prorſus evadet. Si vero inter eos tandem, quorum mentes Ratione rite præparatæ atque excultæ ſunt, altiſſimis ſe *figet radicibus*, vigebit longe lateque, et *fructus* uberrimos *feret.** Mens igitur Ratione eo perducatur oportet, ut æque diſtet ab inani Philoſophia et craſſa Ignorantia; ut neque hujus tenebris pluſquam Cimmeriis opprimatur, nec inter illius litigioſas ſubtilitates, tanquam in labyrintho inextricabili, oberret. Sic, medio quaſi tutiſſima, ea omnia facile cognoſcet, quæ ad Rationem pertinent, quæque Religioni certiſſimam ſternent viam.

VI.

Videor jam ſatis oſtendiſſe, quod initio a me propoſitum erat, Religioni Chriſtianæ non modo non inimicam, ſed neceſſariam prorſus, Rationem eſſe; non Fidei præire tantum, ſed eam ſemper comitari etiam, debere. Et ſicut hoc fieri debet ubique locorum atque temporum; ita hoc præſertim, quo vivimus, ſæculo, et in hac, quam nos habitamus, regione. Circumſpiciamus enim, et paululum contemplemur, quî res procedant in vineto Chriſtiano. Hic

* Matth. xiii.

Fana-

Fanaticus, raptim omnia atque turbate agens, Fidem inflat et fœdat notionibus, quæ animum melancholicum reddunt, et in atram quandam ac temerariam ſuperſtitionem prorumpunt. Illic Sophiſtes moderatius eam quidem, ſed haud minus damnoſe, tractat; nam quaſi findit atque tenuat uſque adeo contortulis ſuis et minutis diſtinctionibus, ut ex ſana ſolidaque Religione facta ſit mera Philoſophia, inanis, et ſine fruge loquax. Peccat acumine hic, Dialecticis nimium imbutus; et inde adeo ſubtiliter omnia ſecans, ut videat ea ferme, quæ nuſquam etiam ſunt: ille æſtu animi et immodico quodam furore, qui videt nihil, nihil dijudicat, nihil penſi neque moderati habet, ſed omnia cæco ſuo impetu rapit atque peſſundat. Sic occupantur Evangelicæ puritatis profeſſores, alii alio; quo fit, ut indies mutentur, miſceantur, atque in pejus ruant omnia. Hæc vero graviſſima mala, ſicut Rationis ſegnitie ingruerint, ita ejuſdem exercitatione diligenti et acri corrigenda et tollenda ſint oportet: quæ ſane exercitatio omnibus omni tempore æque ad ſanitatem menti neceſſaria eſt, ac labor quoque corpori. Nam ſicut corpus per otium et ignaviam torpeſcet, vitioſiſque humoribus, quæ illud ſenſim corrumpent, ſcatebit, ita mens etiam; quæ vel Enthuſiaſtica vel Sceptica facta erit, vel in falſam vel in nullam prorſus Religionem delabetur, prout ſua quemque indoles feret.

Advertendum igitur eſt conſtanter et perpetuo ad Rationem colendam, idque quidem rite: *non diſputandi cauſa*, ut Philoſophi, *ſed*, ut Chriſtiani, *ita viuendi*; non ut gloriolam captemus inanem, oſtendendo quam ſimus acuti, ſed ut mores noſtros ad humanitatem et cultum vere Chriſtianum informemus. Veritas Divina haud eget lenociniis verborum;

rum; nec opus eſt, ut eam calamiſtris inuras fucove oblinas, quaſi ſua dignitate et venuſtate haud ſatis ornata decorataque ſit: *non eſt enim*, prout Verulamius ille de Scientia dixerit, *tanquam ſcortum ad voluptatem, ſed tanquam ſponſa ad generationem, fructum, atque ſolatium honeſtum.** Parum itaque valebit Ratio, diligenter quantumvis exculta, ni abeat etiam in mores. Quid, ſi Religioni Chriſtianæ aſſenſum largiamur qualemcunque, ſi ore confiteamur, ſi denique de ea rectiſſime ſentiamus? hæc quantalibet omnia haud meliorem ſane dignioremve victimam Vero Deo præbent, quam dicitur Prometheus olim immolaviſſe Falſo. † Ut autem Promethei pœnam, ita delictum, evitemus: caveamus, ne fides noſtra ſit mortua fides, ſed bonis operibus animata; ut non forma tantum Religionis, ſed ipſa etiam Religione, veſtiamur. Ita Ratio tandem, ad perfectionem ſuam a Revelatione provecta, nobis erit non *oſtentatio ſcientiæ*, ſed *lex vitæ*: et, quod de primævis Chriſtianis, id quoque de nobis dicetur, nempe, ut *non magna eloquamur, ſed vivamus.*

* De Augmentis Scient. L. i. † Prometheus Jovi indignatus, uti tradunt Veteres, haud veritus eſt illi etiam inter ſacrificandum illudere. Adduxit ergo, loco bovis veri, pellem bovis, grandis quidem et pulchri, ſed ſtramine, et foliis, et viminibus ſuffarcinatam: quo valde commotus Jupiter, Prometheum in vincula conjecit, graviſſimoque ſupplicio addixit. Exteriora itidem Religionis ſint licet grandia, pulchra, et inſtar pellis bovinæ in Syſtema quoddam fabre concinnata; at viſcera deſunt, at vita ſpirituque carent. Vide *Bacon.*

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM